34-7-B-28

Elenchus
Operum Tom. 2.
Miscellan.

Oratio de S. Catharina Virg. et M.
Triumphus divini amoris. Carmen
Versi volgari e latini in lode di un dottore
Musica nel medesimo sogg.°
Oratio in die Pentecostes
Epistola de Usu calidi potus
Carmen votivum S. Paulino Nolano
Epipompeutica in Poemata
Carmen Nuptiale Barberinorum
Oratio in Ascensione Dni
Oratio de subrogando pontifice
Oratio de fragilitate vitae
~~[illegible]~~
Oratio de Deo uno ac trino Pompeii Sarnij
Oeconomia Aristotelis
Carmen ad Clement. VIII. Pont.
Oratio gratulatoria ad Greg. XIV.
Encomium S. Jo: Apostoli.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMPLISSIMO VIRO
THOMAE CONTARENO
INCLYTAE REIP. VENETAE SENATORI CLARISS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRATER VICTORIVS CARCANVS VENETVS, ORDINIS EREMITARVM DIVI AVGVSTINI. S. P. D.

QVAERENTI mihi, multumq́;, & diu cogitanti, quanamre aliquam meę in te uoluntatis ſignificationem, non modo tibi, ſed, quatenus quidem per me liceret, reliquis etiam hominibus declarare poſſem; nulla maior occurrebat, quàm ſi quoſdam leues fructus, qui ex ingenioli mei ſiccitate proficiſci poſſunt, tuo nomine cohoneſtarem. Cùm igitur tuliſſet caſus, ut hoc tempore, ea, à me Venetijs nuper habita de diuæ Catharinæ laudibus Oratio, typis, ut nunc loquimur, eſſet imprimenda, peropportuna ad id, quod uolebam, uiſa res eſt: hanc enim orationem, ſi, dum aliquid interim fortaſſe præſtantius adornatur, tibi inſcriptam ad te mitterem, exiſtimaui facere quiddam, quod, & amplitudo mereretur tua, & gratitudo deberet mea. Inſuper cum hæc iam increbruerit conſuetudo, ut ijs di-

cata eſſe,& eorum nomine inſigniri noſtra ſcripta cu piamus, quos pro magnis eorũ beneficijs aliquo munere remunerari æquũ eſſet. Hæc, Thomas humaniſsime, cum omnia concurrerent, uictus ſum, hancq; orationẽ ad te ipſum mittendã putaui. ſi enim beneficia ſpecto, tu litteras, ac ſtudia mea fouiſti, tu me, nõ quidem ſopitum, ſed tardiorẽ fortaſſe, quàm oporteret, ad litterarum ſtudiũ excitaſti, tu me, ubi opus erat, auctoritate ornaſti, conſilio monuiſti, re ſuſtentaſti, tu nullam rem, quæ ad meum cõmodum attineret, prætermiſiſti, quin etiam, ita te animatum, ita paratum ſemper inueni, mihi ut in omnibus rebus obſequereris, ſuſciperes quæcunq; uellem, ageres, & pręſtares quicquid poſſes. Quid plura? equidem tantum tibi debere profiteor, quãtũ perſolui nullo modo poſsit. Quãobrem non fuit ab re, cũ inibi eſſet, ut hęc ederetur, nõ fuit, inquã, ab re, tuo nomini dicatã emittere; id enim niſi feciſſem, uerebar, ne, ex duobus maxime inſignib. uitijs, alterutrius infamiã nõ effugerẽ, ut uel ea, quibus me ornaſti, beneficia minus meminiſſe uiderer, uel ea, quæ maiora ſperari poſſunt, negligere. A me igitur tenue munuſculũ hoc accipięs, meę in te uoluntatis, & ſtudij argumentũ, grati uero animi non omnino quale uelim, ſed quale poſſum hoc tẽpore monumẽtum. Perexiguum inquies; fateor, ſed ſi animũ reſpexeris, non dubito quin muneris noſtri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo ſit ſubleuatura. Vale. Venetijs, Ex D. Stephani. IIII. Kal. Iulij. 1578.

F. VICTORII CARCANI VEN. ORDINIS EREMITARVM DIVI AVGVSTINI,

DE DIVAE CATHARINAE LAVDIBVS ORATIO.

SI tantum mihi in preſentia dicendi facultatis ſuppeteret (ornatiſſimi totoq; terrarum orbe illuſtri laude maximè celebrati Thelogiæ doctores, uosq; cæteri iuuenes in paleſtra litteraria exercitatiſſimi) quantum uoluntatis cupiditas, qua ardeo huiuſce mihi demandati muneris perficiendi, ſperarē profecto, me ita eniti dicendo, ut officio meo, & expectationi ueſtræ ſatisfacerem: uerum cum meum ſit imbecille ingenium, tenue ſtudium, leuis exercitatio, magnopere mihi uerendum eſt, ne, cum ijs rebus caream, quas & loci huius amplitudo, & audientium dignitas poſtulare uidetur, aliquid prudentiſſimis, atque adeo elegantiſſimis ueſtris auribus indignum proferam, & ea ratione neque ſuſcepto muneri pro dignitate reſpondere poſſim, neque uoluntatem meam expleam: quid enim mihi adoleſcenti, per Deos immortales difficilius, quid grauius demandari poterat, quàm ego, ut pote cui nullus eſt in orando apparatus, & in quo nulla monſtratur ſapientiæ ſpecies, de Catharina omniũ, quas olim Sol adſpexerit, ſapientiſſima, & præſtantiſſima Virgine, apud homines omni uirtutis laude cumulatiſſimos uerba facturus in eum locum aſcenderim, in quem ſummi, ac præſtantiſſimi uiri, ijdemque eloquentiſſimi aſcendere conſueuerunt? Quis in lucis tantę ſpeculo, in tãto maieſtatis aſpectu, in tam frequenti, tam celebri eruditiſſimorum clariſſimorumq; oratorum cętu, animum non deſpondeat? Quis de ſe ipſo nõ dubitet? Quis deniq́ue non uehementer extimeſcat? Equidem conturbarer, & commouerer animo, atque in orationis ipſius quaſi ueſtibulo conciderem, niſi humanitas ueſtra ſingularis (erudittiſſimi Auditores) me recrearet,

crearet,

crearet, ac reficeret, qua fretus & aliquantulum confirmatus, timidè tamen, ac uerecundè, ut in tanta re, tamque nobili auditorum corona adoleſcẽtem decet, de rebus, quas ſanctiſſ.ma Catharina ad Chriſtiani Imperij fines tum tuendos, tum propagandos geſſit, de grauiſſimis pro Chriſtiana religione laboribus, de ipſius animi magnitudine, fortitudine, mortis conſtantia, uitæ ſanctitate, quantum uires meæ ferent, breuiter, & modicè diſſeram. at uero quoniam de ea mihi Virgine uerba facienda ſunt, quæ ijs ſupra cæteros mortales uirtutibus floruit, quarum præſtantiam, non dicã exequare dicendo, ſed aſſequi cogitando difficile, atque arduum ſit, non id mihi ſolum conſiderandum eſt, quid à me dici, ſed multo magis, quid eorum, quę ſuppetunt, omitti oporteat. Si enim ea, quæ dici poſſunt, perſequi omnia uellem, dies profectò me citius, quàm uerba, deſtituet. Vos igitur omnes ſimul rogatos uelim, ut non aures modo, ſed mentes quoque tantiſper adhibeatis, dum hæc omnia breui narratione percurro.

Duplex eſſe bonũ illud, ad quod omnes aſpirant, quod ſibi uotis omnib. expetunt, ad quod omnes ſuas cogitationes, omniaq; cõſilia referũt, nemo eſt qui ignoret. vnum ſapientibus cognitũ, cuius deſiderio nos omniũ rerũ parens natura flagrare impulit; alterum tantummodo uiris puro, & ab omnibus libero cupiditatibus animo, cęleſtem quandam in terris uitam agentibus perſpectum, ad cuius cupiditatem ducimur, & trahimur numinis arbitrio: primum ab hominibus facile comprehendi poteſt: alterum adeo ſuperat mortalitatem noſtram, ut non modo ſub ſenſum cadere, ſed nec planè abſque diuino flatu ſub intelligentiam poſſit: illud eſt bonum ciuile, quod poſitum eſt in rerum bene geſtarum conſcientia; hoc bonum diuinum, quod nihil aliud eſſe uidetur, niſi præpotentem Deum intelligere, amare, poſſidere, pura, & incorrupta mente uenerari, toto pectore, totaque animi contentione amplecti. Hęc igitur præſtantiſſima, ac ſapientiſſima Virgo ab ipſo ineuntis ętatis principio diuino lumine colluſtrata, illud arduum, ac cum labore ad huiuſce boni contemplationem directum iter ingreſſa eſt, hoc robore animi, atq; hac indole continentię, ut quamuis ei, aut ad opes, aut ad dignitatem nihil ferè poſſet accedere, quarum rerum cupiditate adducti, magnarum artium in ſtudijs pleriquè uigilarunt, ipſa nihil huiuſmodi ſpectans, præpotentis Dei amore capta, cuius imaginem animo cerneret, blandimenta uoluptatum reſpuens, carnis illecebras relinquens, ſericam ueſtem, argẽteam ſupellectilem deſerens, ac deniquè contemnens prorſus rerum humanarum ſpeciem, nihil in uita expetendum, aut magnifaciendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctum, ſeque iam tum à corpore quàm maxime abſtrahens, omniũ tum humanarum, tum diuinarum rerum, tum illius pręcipuè Philoſophiæ, quæ cœleſtium bonorum cognitionẽ parit, ſtudia totis, & animi, & ingenij

uiribus

*uiribus amplexa fuerit. Itaque effecit ſtudio ipſa quidem, ſed ingenio ma-
gis, ut, cum annos nata non amplius duo de uiginti eſſet, & omnium nobi
liſſima, omniumq́ue pulcherrima, quod ſibi benigniſſima natura dederat,
eadem habita fuerit; & Oratorum, & Philoſophorum, & omnium illius
ętatis ſapientum doctiſſima: neque id ſanè mirum uideri debet: nam cum
Deus Opt. Max. cuius abdita conſilia non aſſequitur humana mens, perti
naciſſimos Catholicę religionis hoſtes ſuccreſcere prauideret, eam è cœlo
demiſit, ut, quemadmodum Sol exoriens nebulas deiicit, tenebrasq́ue
fugat, & uentus aream purgat, ſic illius ſapientia hæreticos, diſcuſſis er-
rorum, quibus inuoluti erant, tenebris, ad Euangelij lucem perduceret,
atque Alexandriam tetra Maxentij, aliorumq́ue hęreticorum colluuio-
ne purgaret: quod & contigiſſe neminem ueſtrum ignorare arbitror: cum
enim in hac Virgine mirabilia fuerunt, tum ſingulare ſtudium conſeruan
dæ, ac propagandæ uerę, & Catholicę religionis, quæ æternam, beatamq́;
uitam una largitur, & aduerſus Maxentium, qui illam labefactare cona-
batur, implicabile odium ſemper eluxit: excedebat animum ipſius zelus
Eccleſiæ: neque quiſquam unquam uerius idem, quàm quod olim Dauid,
dicere potuit: Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos
ſuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos. Ergo cum hoc ſibi propoſi-
tum fuerit, ut, ſcilicet Alexandriā ipſius iniquitate, & iniuria oppreſſā, in
priſtinā dignitatem reſtitueret, fortiſſimo animi impetu Maxentium terre-
na contagione deprauatum, mortiferi criminis labe pollutum, falſorum deo
rum cultui deditum adire uoluit: non ut illum opprimeret, ſed oppreſſum
erigeret, non ut in ſeruitutem abduceret, ſed à teterrima uitiorum ſerui-
tute in ueteram libertatem aſſereret. non ut ille ſanguinem funderet, ſed,
ne ſanguis Ieſu Chriſti fruſtra pro illo fuſus eſſet, efficeret. non ut, retortis
poſt tergum manibus, collo cathenis grauato, ante currum duceret, ſed ijs
ipſis uinculis, quibus impeditus tenebatur; exolueret: cum igitur ſic al-
loquebatur: ah improbe, & impie Maxenti, an tam prauus es, ut peſti-
lenti afflatu tuo omnia contaminare, & teterrimum uirus tuum longè,
lateq́ue ſpargere ſtudeas? an tam ingratus, ut, qui tibi commoda, quibus
uteris, lucem, qua frueris, ſpiritum quem ducis, dat, atque impertitur, eum
indigniſſimis laceſcas iniurijs? an tam ſtultus, ut qui te ſummis innumera
bilibusq́ue efficit beneficijs, eum reijcias atque contemnes? abſit, ut tan-
tum facinus committas. quin potius, repudiato falſorum deorum cultu,
agnoſce miſer errorem tuum, agnoſce, inquam, fœlicitatem tuam, ad eam-
que propera lætiſſimo animo, relictis erroribus, quibus ij, qui hac diutius
compage corporis includuntur, ita ſæpè implicantur, ut numquam ad
ueri boni cognitionem perueniant: reſcipiſce quęſo, pudeat te præteritę
uitæ, nouam ingredere uiam, promptum, ac facilem tandem aliquando te*

ſalutari-

ſalutaribus meis monitis fac præbeas: ſuſcipe doctrinam à Deo traditã, conuerte mentis oculos ad ipſum omniũ rerum affectorem: ne, dum ęternũ (ut falsò putas) ignem colis, in alium ignem uerè ęternum incidas: ſi enim à me diſcedes, quomodo, dic obſecro, effugies ſupplicia illa numquàm fine caritura? quomodo peccatorum condonationem aſſequeris? quomodo hilari uultu deſpectum Chriſtum adſpicies? quomodo immortalitatis præmia accipies? Quamobrem cum Maxentius huius incorruptæ Virginis incredibilem dicendi copiam, ſingularem ſapientiam, diuinam prudentiam perſpiceret, tanta quidem eſt affectus admiratione, ut eueſtigio ſenſus omnis cadere uiſus fuerit, lingua hęſitarit, nec ulla ipſius pars ſuo functa fuerit officio: eòque uehementius admirabatur, cum eam crebras iam tum in illa ętate, quæ nihil cogitare, nihil loqui, niſi leue, ac ludicrum ſolet, uideret inuſitatæ cuiuſdam, & inauditæ prudentiæ ſignificationes dare: neque ob id hæretici, qui præſentes aderant, Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri religionẽ ſuſcipiebant: quinetiam Maxentius exitioſas opiniones mordicus retinens, permanẽs in prauitate, & obſtinatione animi, furenter ira incenſus, omnes, qui catholicam fidẽ amplecterentur, intra certam diem capitis ſupplicio, & Catharinam ſummis crudeliſsimiſque cruciatibus affici, & in carcerem contrudi iuſſit: ſed nihil uirium habent aduerſus eos, qui pro Chriſtiano nomine dimicant, ſubdola, & aſtuta conſilia: debiles ſunt omnes aduerſus animi conſtantiam machinę, imbecilla, & inutilis aduerſus animi fortitudinem multitudo: hinc ſanctiſſima Virgo, ut ſectas catholicæ religionis inimicas extirparet, ut Chriſtianum nomen quàm lõgiſſime propagaret, ut apoſtolicę ſedis auctoritatem ſanctam, inuiolatãq; ſeruaret; nullam ſibi umquam difficultatem, nullam offenſionem pertimeſcendam, nullũ periculum, nullum detrimẽtum, nullum incommodum detrectandum, nullũ certamen, nullam contẽtionem, nullam pugnam, nullam dimicationẽ refugiendam putauit. Ideo illud in ore frequentiſſime habebat: Numquã mę uel ita gratia deliniet, uel ita metus terret, ut pietatem religionemque deſeram: immo perlibenter cum dolore pugnabo, acerrimis cruciatibus, exquiſitiſſimiſque tormentis forti animo reſiſtam, & corporis dolorem animi lætitia ſuperabo: O uocem magni indicem animi, eximiæ teſtem uirtutis. & certe (eruditiſſimi Auditores) quod mente imbiberat, re perfecit: quas enim illa potentum inimicitias? quæ odia? quas minas? quos immanes uerborum terrores? quæ capitis pericula? quę uitę diſcrimina? dum Maxentium, aliosque hæreticos modis omnibus perſequebatur, formidauit? quę non potius ultrò, ac cupidè appetijt? quàm ſępè, & ab improbis hominibus petita, & à Deo mirabiliter ſeruata eſt? ut de ea dici poſſit, quod alicubi ait Cyprianus; non animum martyrio, ſed martyrium animo defuiſſe: & licet duodecim dierum ſpatio ſitim; atque famem toleraſſet;

nullam

nullam tamen umquam uocem parum ſe dignam emiſit; ſed aſsiduis prebus à Deo contendebat, ut, de medio ſublata Maxentij aliorumque hæreticorum prauitate, illud, quo nullum pulchrius eſt, chriſtianum nomen ſtabiliretur: O ſingularem ſingularis adoleſcentulæ, uel puellę potius integritatem dicam, an fortitudinem, ſiue utrumque? eſt ne aliquis ueſtrũ (eruditiſſimi Auditores) qui tantum in hac Virgine animi, conſtantięque neſſe exiſtimaſſet? qui tantam ſtabilitatem, tam firmas illic radices egiſſe credidiſſet? qui tantum uitæ huius contemptum in adoleſcentula reperi poſſe putaſſet? nec mirum: uirtutum enim radices non ita leuiter in bonorum animis inhærent, ut eos euellere aut commodi ſpes, aut periculi dubitatio poſſit. Maxentius igitur, cum animum huius incorruptæ Virginis in acerrimis cruciatibus à conſtantia numquam relictum uideret; facile perſpexit imprudentiam conſilij ſui: Quocirca quinquaginta illius ætatis ſapientiſſimos philoſophos ad urbem acciuit, iiſque plurima eademque ampliſſima pollicebatur prgmia, ſi & ſapientia, & eloquentia ſua ita efficiſſent, ut Catharina, omiſſo ueri dei cultu, ad idolorum ritum conuerteretur: ſed fruſtra, fruſtra inquam, fiunt hæc omnia, fruſtra arenæ ſemina committuntur; fruſta later lauitur: nam ſimul atque primum ſapientiſſima Virgo cum illis in aciem deſcendit, non ſolum illorum opiniones fregit: uerumetiam, multos ſuperſtitione purgatos & ſapientiæ pondere, & diuina dicendi copia errorem ſuum deponere, ſeq; ad Eccleſiæ ſocietatem recipere coegit: quippe qui relicto falſorum numinum cultu, diuini ſpiritus repentino tacti afflatu, promptos ſe, ac faciles ſalutaribus Catharinæ monitis prębuerunt; Chriſtumque uerum Deum agnouere, & traditam ab eo doctrinam ſuſcipere cœperunt. O uictoriam ſingularem, atque omnium uocibus ac litteris celebrandam. Hinc Maxentius rem, cum aliter, ac opinabatur, eueniſſe animaduerteret, ardentem rogum extruendum curauit, quo ita philoſophos puniret, qui ſiuerant ſe uinci a Virgine: iis igitur in eum aſcendentibus ipſa paterna charitate, feſtiua hilaritate dolorem omnem adimere conabatur, talibus fortaſſe uerbis illos alloquens: Ite optimis ominibus generoſę, ac fortes animę: Ite accenſa diuinę glorię ſtudio pectora: nolite committere, vt Ieſu Chriſti domini Dei noſtri ſepulchrum, monumentum ſalutis noſtræ: pignus reſurrectionis noſtrę, Chriſtiano nomini inimicis ludibrio ſit: continuate uictorias, cõnectite triumphos: ubi melius ſanguis ſpargi poteſt? ubi melius uita deponi? ubi uerior, ac ſolidior gloria comparari? ſit hoc apud nos minimè dubium, nobis ſcilicet in cœlo propoſita eſſe maxima pręmia: illi uero omnes, ſublatis in cœlum manibus, omnium rerum moderatori Deo ſingularibus uerbis gratias quantas animus capere poteſt, agebant, quod tantę Virgini eam mentem dediſſet, ut eos ad uerum Dei cultum conuerteret: hacque utebantur

oratione: Domine adde ſanè ad dolorem, dum addas & patientiam; hæc cum dixiſſent, deficiente iam & moribunda uoce, uitam pro Dei gloria pro iecerunt: eodem illo temporis puncto Angelorum legionibus ſtipati, triũ phantes, tuum, Chriſte Ieſu, nomen inuocantes, tuam, ſanctiſſima Virgo, apud filium opem implorantes, ad uos, vt confidimus euolarunt. O uos beatiſſimos, qui ſanguinem neſtrum pro eo fudiſtis, qui prior ipſe pro nobis ſuum ſanguinem fuderat; qui mortem naturę debitam pro uitæ auctore potiſſimum reddidiſtis: illi impij, qui falſa dogmata colebant, & mortem appetierunt cũ ignominia, & mortui pœnas nunc ad inferos luũt: nos uero, & extremum ſpiritum uictores cum gloria effudiſtis, & mortali conditione uitæ in immortalitatem commutata, piorum eſtis ęternam ſedẽ, ac locum conſequuti: beata uita, quæ tali morte concluſa eſt: beata mors, quę tali uitæ principium dedit. Illam diem, cum hęc bella ſuſciperentur, & terris, & cœlo incredibilem hilaritatem attuliſſe, quis, niſi ſanè mentis expers, non crediderit? nam ſi cum unus aliquis, qui à recto uiuendi tramite deflexerit, in uiam redit, innumerabiles illas Angelorum legiones exultare, ac geſtire gaudio credendum eſt: quid autem feciſſe auguramur, cum tot hominum miſerabiliter tunc in ſuam perniciem ruentium, amplius quinquaginta reſipuerint; &, unde ſatanę inueſtigatione diſceſſerant; eo ſe ſancti ſpiritus afflatu inſtincta receperint? At qui cum in ea, quæ pia eſt, & religioſa in Deum, duo maximè requirantur, ut uerbo doceat, & exemplo inflammet: dici non poteſt, quanta ſua cum laude, quanta cum omnium admiratione præſtantiſſima Virgo utrumque præſtiterit, & ſapientiam cum probitate, & eloquentiã cum integritate coniunxerit: cui rei uel illud argumento ſit, quod, cum nutu quodam, ac immortalis Dei numine, Fauſtina Maxentij uxor, & Porphyrius, eam ut uiderent, & viſerent, uinculum ingreſſi eſſent; ita effecit ipſa & exemplo, & cohortatione, vt eos erroris ueniam petentes, ad pietatis cultum allexerit; id autem nulli uideatur mirum: eius enim ex ore tanquam ex perenni quodam fonte nũquam intermittente, nuſquam inſiſtente fluxu, tantum flumen, vel potius, fulmen profluebat, ut omnes ſecum, quo uellet, raperet. Proinde ſceleratiſſimus ille religionis noſtrę Maxentius cum nullum ab ipſa ſtudij genus prætermitti perſpiceret, quod uel ad tuendam, uel ad recuperandam animarum ſalutem ſpectaret, exardens iracundia uehementi, è carcere emitti iuſſit, & eam, niſi ſe ad falſorum dęmonum gremium reciperet, capitis condemnaturum apertè pronunciabat: at Catharina pectore incredibili quadam fortitudine armato, ac munito, aqua ſalutari abluta, fide integerrima, cœleſti ſcientia, armis apoſtolicis, gladio ſpiritus induta, dum, quid uis ſatius eſſe duxit, quam ut quid in Chriſtiana Republica de ueræ religionis integritate minueretur, hoc unum illi reſponſum tulit, tuę (Maxenti) ſatię

uoluntati

uoluntati facias:non enim me iſta terrent,quę mihi ad timorem proponis.
non minis,non terroribus,non tormentis,non ſupplicijs, non cruciatibus,
non ui,non metu mortis adducar,quo minus Dei cultum cuſtodiam: quia
potius hoc mihi propoſui quiduis perpeti, quam ſuſceptam Chriſti fidem,
qua una ęternæ uitę ſpes continetur,abijcere: ad Carnificinam igitur du-
cta, antequam carnifex caput abſcinderet,ad cælum ipſa ſubleuatis ocu
lis: O pręclarum diſceſſum (clamabat) è uita,cum,mortali corpore cor-
rupto,in lucem animus exceſſerit:hinc tota in Deum conuerſa ipſius iuſſu,
à cęleſtibus mentibus rapta eſt; ut quam fęlicitatem merebatur, tandem
aliquando ipſa frueretur.O Catharinam fortem,& honeſtiſſimam: ò te mo
dis omnibus maximam,ac beatiſſimam,quæ morte uitam quæſiuiſti, & ex
Maxentio Dei uictoriam reportaſti:quę memoria? quę uis ingenij, quod tã
diuinum, atque incredibile genus orationis eſt, quo quiſquam omnes exi-
mias tuas laudes,uel partem aliquam, non dicam orando complecti, ſed
enarrando percenſere poſſit? quæ enim ſanctarum uirginum eſt,aut eſſe po
teſt te,aut nobilitate,aut ſapientia,aut probitate,aut innocentia, aut uitæ
ſanctitate,aut mortis conſtantia,aut vllo laudis genere maior,& clarior?
Tu Alexandriam peſtibus,ac diris contagionibus purgaſti,doctrina nobi
litaſti,uiolatam in priſtinam dignitatem reſtituiſti: Tu Hydrę renaſcentia
capita amputaſti: Tu errantem gregem, deſiectum, ad catholicam fidem
reuocaſti:Tu homines ab exitioſarum opinionum prauitate deduxiſti:Tu
impurorum hominum pertinaciam armis apoſtolicis, ſtultitiam ſapientia,
temeritatem conſilio,furorem fortitudine,ſuperbiam humilitate,immani-
tatem manſuetudine,crudelitatē,benignitate,audaciam uirtute ſuperaſti:
Tu Chriſtianam religionem latius ſparſiſti. Tu ad uerum Dei cultum non
conſeruandum tantum,ſed etiam propagandum ſtudioſiſſima fuiſti:Tu non
à tuis tantum,ſed ab aliorum quoque finibus hereticos depuliſti.Tu huma-
no generi in tenebris erroris, & inſcientiæ,clariſſimum lumen prætuliſti:
Tu effeciſti, ut homines, depoſitis ſuis erroribus, rectam, ſalutaremque
uiam tenerent,aut,qui ab ea diuerterent, denuo congregaſti.Tu Maxentiũ
doctrina uiciſti,ſapientia uiciſti,eloquentia uiciſti,conſtantia uiciſti, forti-
tudine uiciſti.Tu incredibilem ab ipſo Deo gratiam, & beneuolentiam ini-
uiſti: ille ipſius ſibi iram conciliauit,collegit, conflauit. Tu lætaris, quod
nihil unquam prius,aut antiquius habueris conſeruatione uerę, ac catholi
cæ religionis:ille uberrimis conficitur lacbrimis, quod ab ipſa abfuerit:Tu
cælo frueris,& cęleſtium animorũ conſpectu,circumfluens rebus ijs, quas
ad huc mortali corpore incluſa,animo tamen ſæpè foras emergente, con-
templabaris: Ille per Tartarum à Furijs in Erebum,chaoſq; raptus eſt: Tu
illam,chriſtianis piè,& religioſè uiuentibus promiſſam,poſſides hæredita-
tem:ille meritas apud Inferos pœnas luit:Tu ad Diuorum religionem con

ſecrata es; ille maximis ſupplicijs afficitur: Tu cum illo bonis omnibus circumfluēte cœleſtium animorum cętu coniūcta es: ille in teterrima caligine iacet. Tu inter Deos ſedes, pace frueris tranquilliſſima: ille horribilibus perpetuo mactatur tormentis: Si igitur Romulus (eruditiſſimi Auditores) Cęſar, Hercules, Iuppiter, Ceres, Bachus, ac preterea complures alij ob aliquam beneficiorum collocationem, in Deorum numero falsò collocantur: qui tandem honores poterunt excogitari digni hac preſtantiſſima Virgine, de fide ſic benemerente? nam quis unquam toto terrarum orbe nominari poteſt, qui ſemel ſuſceptam Ieſu Chriſti fidem maiori conſtantia puram incorruptamque ſeruarit? quid boni nobis non attulit Catharina? Quis ex improborum animis exitioſas opiniones euulſit? Catharina. Quis Alexandriam Maxentij, aliorumque hereticorum colluuione purgauit? Catharina. Quis impio falſorum deorum cultui deditos, & à chriſtiana religione abhorrētes, repudiata ſuperſtitione, Chriſto initiare pellexit? Catharina. Quis ferociſſimam, & Chriſtiano nomini inimiciſſimam gentem profligauit? Catharina. Quis peſtiferum opinionum uirus afflauit? Catharina. Quis mortales errore lapſos reuocauit in uiam? Catharina. Quis improbos diſſipauit? Catharina. Quis immanium hoſtium uires deleuit? Catharina. Quis Chriſti aduerſarios oppugnauit? Catharina. Catharina, inquam, Chriſti fidem imminutam reſtaurauit, reſtauratam auxit, auctam in alterius orbis detulit fines, delatam plantauit, plantatam ſeruauit. Catharina omnes falſorum dogmatum fibras eliſit, eliſas euulſit, Catharina euulſas excidit, exciſas diſſipauit, Catharina diſſipatas extīxit, extinctas exterminauit. Catharina denique rectam ſalutaremque errantibus monſtrauit uiam. O Catharinam igitur omni laude, omnibusque ſeculis digniſſimam; tibi Magiſtratus, tibi Reges, tibi Imperatores, tibi Pontifices ob tua tanta, & tam præclara non modo in Alexandriam, cuius præcipua res agebatur: uerum etiam in uniuerſam Chriſtianam Rempublicam merita, ſe debere fatentur: tibi immortales laudes, tibi diuini honores, tibi triumphi, tibi præmia cœleſtia debentur: tibi arcus, tibi ſtatuæ, tibi columnę, tibi trophęa excitari oportet: quæ non dico paria eſſe meritis tuis, ſed eorum partem adumbrare aliquam poſſint: nulla futura eſt, (hoc mihi affirmanti credas uelim) tam barbara, aut tam longinqua natio, quò non, tam diuini beneficij à te in humanum genus collati fama perueniat; nullę tam ingratæ litterę, quæ de tuis laudibus conticeſcant; nulla tam ſurda eſt poſteritas, quæ clamores noſtros admiratione uirtutis, ac fœlicitatis tuæ excitatos non exaudiat: mihi uero ut gratias agas, quod te tanquam Pictor bonus illuſtrauerim, non expecto, ſed potius, quod quaſi decolorauerim, ut ignoſcas rogo: namque ubi deeſt laudantis ingenium, ſupplet audientis coronæ prudentia. Innumerabiles igitur, ac meritò (eruditiſſimi Auditores,) gratiæ

ſunt ha-

ſunt habēdæ primū Magiſtro oīum ſapiētiſſimo, æternę ſalutis auctori, & largitori Chriſto, unde bona manant omnia: deinde huic ſanctiſſimæ Virgini, quæ hoc imbibit, cuius animus hoc unum ſpectauit, hęc ei a principio mens, hoc conſilium, ac propoſitum fuit, ut communibus malis ſuo præſidio mederetur. Hoc loco (eruditiſſimi Auditores) ſi totam eius in terris actā uitam mente, & cogitatione perluſtrare uellem: dicerem quenquam nunquam intemperantem tanto ſtudio uoluptates corporis conſectatum eſſe, quanto illa eas perpetuò repudiauit: dicerem ieiunia, preces, dicerem ſtatis anni temporibus a certis ciborum generibus abſtinentiā, interioris ueſtitus aſperitatem quoque aditum ſibi ad cœlum aperuiſſe: dicerem nullam umquam ullius turpitudinis, aut flagitij ne tenuiſſimam quidem ſuſpicionē eam dediße: dicerē numquam ex eius ore uerbum unum prodijſſe, quod nō uel ad Dei laudem, uel ad improborum emendationem pertineret: neque præterirem illud, quod non æqualibus modo ſuis, aut minoribus natu, ſed & ipſis illius ætatis ſapientibus Philoſophis ſenioribus, honeſtatis, modeſtiæ, frugalitatis, temperantiæ, innocentiæ, integritatis, omnis denique uirtutis ſpecimen, & exemplar fuit. Talia quamlibet multa dicerem: ſed non patitur breuitas temporis, ut de hac ſemper magis, magiſque laudanda, numquam ſuper ſatiſue laudata Virgine plura loquar: uidere enim uos opinor, quàm ſe latus meæ orationi campus oſtendat, ſi quæcunque mihi undique occurrunt. meoſque ante oculos obuerſantur perſequi, & in ſingulis inſiſtere uellem: neque enim credibile eſt, poſſe aut me, aut quemquam de eius dignitate, atque amplitudine benè, & copioſè uobiſcum loqui. Itaq; inſtitutæ orationi finem imponam, ſi hoc primum dixero, ut cunctis & animi, & ingenij uiribus, ſi nobis uolumus cari eſſe, ſi nobis eiſdem uolumus rectè conſulere, eam imitemur, eam ſequamur, in eius ueſtigio pedem ponamus, ad eius ſimilitudinem nos ipſos formemus, & fingamus, eius uitam perpetuò ſanctiſſimè traductam, eius omnia facta, conſilia, inſtituta nobis ob oculos ponamus. hoc enim potiſsimum modo per uiam ſignatam, & impreßam eius ueſtigijs, celeri gradu, ubi, id, quod ſupereſt ætatis, beatiſsimè, tranſigerimus, ad ea, quæ nos manent, curremus premia immortalitatis, ac demum in illas ſedes, in quibus puros à ſcelerum contagione animos poſt obitum uerſari credendum eſt, facile poterimus euolare.

D I X I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE